



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXX. De Confirmatione Utili Vel Invtili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

TITVLVS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI.

Dostequam fuit actum de sententia, & quomodo ea per appellationem suspendatur, & non interposita appellatione per decendum vim accipiat, & in rem iudicatam transeat, dubitari posset, quid de sententia iudicandum sit, postquam ea à superiore confirmata fuit, quemadmodum Titulus iste de confirmat. &c. ad finem libri subiungitur.

Confirmare actum aliud non est, quam ei majus robur tribuere, quam obrem supponit actum subsistere, quia, quod non est, non confirmat, nisi clarè significet Superior, se actui valorem daturum, tamen si non subsistat, ita, ut sit innovatio quædam actus, seu nova concessio aut provisio, ut infra explicabitur. Ordinariè autem seu secundum communem formam confirmatio fit de actu subsistente, alioqui non valet, quemadmodum in electi Praelati confirmatione apparet, cuius electio si irrita est, etiam confirmatio irrita est, si valida electio, tunc confirmatio juri inchoato complementum tribuit, sicuti docet *Suar. l. 8. de legibus. c. 18. n. 1.* Similiter modo se habet confirmatio præcedentis judicialis sententiæ, contractus, privilegii &c. si enim modo ordinatio, seu secundum communem formam fiat, & sententia aliusve actus, qui confirmari debet, non subsistat, inutilis est confirmatio eius. Si autem subsistat, tunc utilis est confirmatio eius, maiusque ipsi robur auctoritatem, & indissolubilitatem tribuit.

CAPITVLVM I.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Si aliquis super re litigiosa, seu de qualis in

judicio mota est, confirmationem à Sede Apostolica impetrarit, eam non obstante, Iudex de causâ cognoscere, eamque definire potest. sed si impetrans confirmationem eo tempore rem pacificè possidebat, & postea quæstio exorta fuit, non est Iudici concessum de ea cognoscere, aut definire absque Apostolicæ Sedis mandato.

S Y M M A R I V M.

1. Confirmatio superioris facta de re litigiosa, nullius roboris est, nisi in ea mentio fiat litis.
2. Pacificè possidere dicitur, cui lis nulla super eâ mota est per libelli oblationem.
3. Confirmatio, quam facit Princeps de aliquo contractu, vel sententia; est duplex. Una in forma communi & ordinaria; altera in forma speciali seu ex certa scientia. Confirmatio in forma communi nihil novi juris tribuit, sed actui, si subsistat, & quatenus subsistat, majus robur addit, & auctoritatem.
4. Partes ipsæ plerumque possunt recedere à sententia, quæ in earum favorem confirmata est, ita & Capitulum à statuto, quod pro suo commodo fecit, & confirmationem eius impetravit.
5. Effectus confirmationis in speciali forma præcipuus est, quod novum jus tribuas dispositioni, eamque validet, si prius invalida erat. Modò potestas confirmantis se extendat ad validandum actum.
6. Omnis confirmatio est in forma communi ordinaria, nisi aliquo signo ostendatur esse in forma speciali.

7. Con-

7. Confirmatio ex certa scientia censetur, quod rioscunque ex rescripto confirmationis cognoscitur sufficiens notitia Principis de re, & defectu, qui per eius potestatem est sup-
plendus.

8. Afferuntur aliquos limitationes precedentis doctrina.

9. In hoc presenti capitulo sermo est de confirmatione in forma speciali.

1 **N**ot. I. Confirmatio superioris facta de re litigiosa, seu super qua lis mota est, nullius roboris censi debet; quare non obstante confirmatione Iudex inferior procedere potest. Excipe, nisi in confirmatione fiat mentio litis, ideoque princeps ex certa scientia plenitudinēve potestatis confirmationem faciat, tunc possessorem securum reddi, ut apud inferiorem Iudicem respondere non teneatur. Quamobrem hæc veluti avocatio quædam causæ censi debet. Vti indicat *gl. inc. Quia. 5. verb. in forma. de concess. prebenda. Abb. hic. n. 2.*

2 **N**ot. II. Pacificè rem possidere dicitur, cuius nulla super ea mota est per libelli oblationem teste *gl. inc. In commissis. 35. verb. pacificam. de elect. in 6. admonet hinc verò gl. verb. litigiosa* quam sequitur. *Abb. & Alexander.* quod in futuro Iudicio de possessione, non ideo etiam proprietatis rei litigiosa efficiatur, quare dominium rei interim in alium transferri potest. *arg. aurb. litigiosa. C. de litig. Pro maiore intellectu*

3 **A**duerte, quod duplex sit confirmatio, quam Princeps facit de aliquo. v. g. contractu, aut Iudicis, sententia. Vna dicitur in forma communi & ordinaria, de hac ait *gl. hic. verb. confirmationem. gl. in cit. c. Quia. Bart. in l. Privilegia. C. de Sacrosanct. Ecclesiis.* quod nihil novi juris tribuat, sed actui, si subsistit, & quatenus subsistit: maius robur, autoritatēque addat. Considera verba, quæ dixi per hanc confirmationem nihil novi juris tribui, quia non innovat actum, seu de novo eum subsistere facit, qui secundum se irritus est *c. Inter. 10. ubi docui de fide instrument. Sin autem valeat actus, qui confirmatur, tunc dat ei robur & autoritatem confirmantis propriam,*

juxta. l. 1. C. de veteri jure enucleando. ubi Imperator ait: omnia nostra facimus, quibus autoritatem nostram impartimus; id enim suo modo etiam intelligendum est de confirmatione in forma communi, ut rectè monet *Suar. cit. l. n. 10.* ubi ait, si confirmatio in forma communi cadat in materiam habilem, & effectum suum sortiatur, tunc res illa, quæ confirmatur, non tantum inferioris, qui eius author fuit, sed etiam superioris, qui confirmat, autoritate subsistit, ita ut confirmans dispositionem suam efficiat, tamen intra limites dispositionis ac valoris eius. Propterea adieci; *si actus subsistit, quod confirmatio ei robur addit, quatenus subsistit,* quandoquidem confirmatio in forma communi rem, quæ confirmatur, non extendit, sed id, quod invenit, magis corroborat & indissolubile reddit. Exemplum habes in sententia Iudicis, quæ postquam à superiore Iudice in forma communi confirmata est, ab inferiore retractari, aut rescindi non potest, dummodo valida fuerit, & non ipso jure irrita.

4 Veruntamen ipse partes, in quarum favorem confirmatio data fuit, plerumque non prohibentur à sententia recedere. v. g. per transactionem, quia nemo invitus beneficio sibi concessio uti cogitur. Eadem ratio est de statuto. v. g. edito à Capitulo, quod si Pontifex in forma communi confirmavit, alius nemo Ecclesiasticus Prelatus, Capitularibus invitis, tollere, aut relaxare potest, quandoquidem per confirmationem Pontificiâ autoritate fulget, quam infringere non potest inferior, prout ex communi docet *Fuscus. verb. confirmatio. Concl. 709. prope finem.* Sed ipsum Capitulum, quod pro suo commode statutum fecit, cuiusque confirmationem impetravit, plerumque recedere potest per renunciationem, aut dispensationem. sicuti constat ex *c. Cum accessiss. 8. de constitutionibus.* ubi id explicavi, & videri potest *Suar. l. 6. de legibus. c. 26. n. 14.*

5 Altera est species confirmationis, quæ dicitur in forma speciali seu ex certa scientia, quia, requirit, ut superior confirmans plenam causæ cognitionem habeat. *c. 1. de*

de transactionibus. Et hæc confirmatio præcipuum hunc effectum habet, quod novum jus tribuat dispositioni, quæ confirmatur, si fortè priùs inualida erat, dummodo confirmantis potestas ad actum validandum se extendat *juxta cit. c. 1. vbi gloss. ait.* Si transactio vel pactum fuit invalidum, per confirmationem Papæ sumit vigorem, & sententia Iudicis, quæ non tenet, per confirmationem accipit vigorem. Aliter verò accidit in confirmatione facta in forma communi, sicuti constat in *c. inter. 6. prope finem. de fide instrument.*

Exemplum attuli *l. 1. tract. 4. c. 23. q. 4.* de privilegiis regularium, quæ si alicui ordini à Pontifice Romano nunc confirmantur in forma communi, & aliqua eorum olim obtenta, postea per *Trident. Concil.* aut Pontifices sublata fuerint, jam non reviviscunt, aut innovantur. Sed ut priùs sublata manent, secus verò est, si privilegium aliquod olim concessum & postea sublatum nunc in forma speciali seu ex certa scientia confirmetur, adeoque innovetur, tum reviviscit, eò quod nec facultas Pontifici deficit ad talia privilegia, nò obstante eorum revocatione, innovanda, neque voluntas, quippe quam sufficienter exprimit, ut suppono.

Quæritur 1. Quo signo cognosci potest, quod aliquis contractus, transactio, statutum, privilegium, sententia aliave dispositio confirmata sit in forma communi aut in forma speciali?

6 Resp. & Dico 1. De hac ponenda est Regula, quod omnis confirmatio, sit in forma communi & ordinaria, nisi aliquo signo ostendatur, esse in forma speciali. Sicuti ex communi tradit *Thursus. verb. confirmat. Concl. 708. n. 10. Suar. de legibus. l. 8. c. 18. n. 7.* nam confirmatio, si nihil adjiciatur, adeoque secundum se præcisè supponit, rem esse, quæ confirmatur, cum sit accidens eius; non Entis autem, seu non subsistentis non sunt qualitates.

7 Dico 2. Confirmatio ex certa scientia censeri debet, quotiescunque ex rescripto confirmationis cognoscitur, quod Princeps

sufficientem rei cognitionem habuerit, adeoque non ignorarit defectum, qui per eius potestatem supplendus est, ut quia adiecta fuit clausula ex certa scientia, tunc enim Principi ita testanti credendum est, *Clement. 1. de probationibus.* Eademque ratio est, si verbis æquipollentibus significetur, Principem non secundum jura communia confirmationem dare, sed secundum plenitudinem potestatis, aut non obstante quacunque lege aut consuetudine, quæ in contrarium sit & dispositionem, nisi ita confirmaretur, vitiosam reddere, sicuti declarat *Felin. in c. Cum inter. n. 7. de exceptionibus. & in c. Nonnull. 20. vallent. 4. de rescript.* Denique si confirmationi inseratur tenor dispositionis confirmatæ, dubium non est, Principem e jus scientiam habuisse, adeoque non obstante defectu aliquo dispositionem confirmare, aut validare voluisse. *juxta c. penult. hoc tit. vbi id docet Alb. & alij.*

Excipiendum est 1. Si defectus, quo dispositio laborat, sit contra jus naturale, adeoque indispensabilis, v. g. contractus usurarius non validatur qualibuscunque adiectis verbis.

Excipiendum 2. Si princeps in defectu, quo dispositio laborat, dispensare nunquam soleat, tamen si absolute possit, tunc verba illa, ex certa scientia, nò obstantibus. &c. cum generalia sint, non videntur extendi ad hunc casum seu defectum, nullâ eius speciali mentione factâ, sicuti docui in *cit. c. Inter.*

Excipiendum 3. Quod Princeps per clausulam: ex certa scientia, non censeatur derogare alterius juri acquisito, teste *Beroio hic. n. 28. Paulo de castro consil. 157. vbi ajunt:* quod clausula illa non operatur in præjudicium tertii, de quo non apparet Principem specialiter informatum fuisse. Et idem *Beroius, Felin. l. cit. Bald. in l. Impetrata. n. 5. C. Sententiam rescindi non posse.* quod clausula ea non operatur in iis, quæ Princeps præsumitur ignorare, uti sunt facta commercia, & bonæ consuetudines locorum. vide quæ sunt dicta in *c. 1. not. 3. de transact.*

Quæritur 2. Sine in hoc Capitulo sermo de confirmatione in forma communi,

S V M M A R I V M.

1. *Contra privilegia & confirmationes à Sede Apostolica emanantes, inferior iudex decernere non potest.*
2. *Neque etiam cognoscere potest de confirmatione in forma communi secundum se, sive quatenus à Sede Apostolica emanavit, an legitimè facta sit, &c.*
3. *In dubio tamen, num confirmatio data sit in forma communi vel speciali, id cognoscere & definire potest iudex inferior.*
4. *Si constat, confirmationem etiam in forma speciali vitio obreptionis laborare, contra illam pronuntiari potest etiam ab inferiore.*
5. *In dubio adversus confirmationem & rem confirmatam inferior iudex absque Sedis Apostolicæ mandato nihil decernet.*

an speciali, *gl. hic* putat, in priore parte Capituli sermonem esse de confirmatione in forma speciali.

Alii verò non clarè hoc dubium decidunt. mihi autem videtur, legenti textum manifestum fore, quòd Pontifex de utroque membro in eadem specie confirmationis loquatur, nisi dicere velimus, cum vitiosâ æquivocatione usum.

Quare cum communis sit sententia *gloss. verb. de questione. Immol. n. 2. Abb. n. 4. Alex. n. 7.* quòd in posteriore parte sermo sit de confirmatione in forma speciali; nam de ea duntaxat verè dici potest, quòd veluti liget manus inferiorum iudicum, ut de rebus à Pontifice confirmatis cognoscere non possint, multò minùs de valore confirmationis *c. Cum venissent. 12. de iudiciis.* ideo dicendum, quòd etiam in priore parte, sermo sit de confirmatione in forma speciali, seu cum causæ cognitione, sicuti *Beroius. hic. sentit. n. 28.*

Nec repugnare videtur *Abb. in primo not.* quando generatim ait: quòd confirmatio de re litigiosa ipso jure nulla sit, ideòque Iudicis processum non impediatur, nisi mentio fiat litis, ita ut Superior causam ad se advocare censeatur; nam hæc doctrina vera est, tamen pars litigans tacens de litigio impetret confirmationem cum clausula ex certa scientia, velex plenitudine potestatis. *arg. c. ult. ut lit. pendente.* præsertim cum sit communis doctrina apud Beroium & alios, quòd clausula illa non tollat vitium subreptionis.

CAPITVLVM II.

De confirmationibus.

PARAPHRASIS.

Adversus Confirmationes, quæ à Sede Apostolica prodierunt, alii inferiores Iudices iudicare non possunt, præterquam si novum mandatum accipiant, aut certum sit, eas per falsi suggestionem obreptas fuisse.

NOtand. I. Contra privilegia & confirmationes à Sede Apostolica emanantes inferior Iudex decernere non potest, *arg. cit. c. Cum venissent. de iudic.* debet autem hoc potissimum intelligi de confirmationibus in forma speciali, seu ex certa scientia: at verò contra confirmationes in forma communi Iudex inferior per accidens cognoscere ac decernere potest, quia cum ea novam concessionem non contineant, sed fundentur in re confirmata, ideo, si Iudex inferior dispositionem, quæ confirmata est, secundum se irritam esse, cognoscat, consequenter etiam, accessorie ipsam confirmationem nullius roboris esse, pronuntiabit; quia ruente principali ruit etiam accessorium. Sicuti explicat *Suar. l. 8. de legibus. c. 18. n. 2.* Veruntamen si quæstio oriatur de confirmatione in forma communi secundum se, sive quatenus à Sede Apostolica prodit, num legitimè facta sit &c. Iudex inferior cognoscere nequit teste *Innoc. in cap. Præcedente.*

Id quoque bene monet hic *Joann. Andr. in fin.* quòd Iudex inferior orto dubio, num confirmatio data sit in forma communi, an speciali, id cognoscere & definire possit,

fff f

possit, ut sciat, num sua jurisdictio super negotio confirmato, sit fundata, necne: quemadmodum Iudex à quo appellatum, cognoscere potest, num appellatio frivola sit, necne, ut sciat, num ei deferre debeat, licet ipsimet causæ appellationis se immisce- re non possit.

4 Not. II. Si manifestum sit, confirmatio- nem etiam in forma speciali vitio obreptio- nis laborare, contra illam pronuntiari po- test etiam ab inferiore; tamen enim clau- sula, *ex certa scientia*, videatur excludere præsumptionem subreptionis, ea tamen præ- sumptio cessat, si contrarium manifestum sit. Imò verò si particulares circumstantiæ fa- cti adsint, quas Superior probabiliter igno- rasse præsumitur: vel si eas non ignorasset, tunc specificè expressurus fuisse (eò quòd vel stylus Curia, vel lex specialis talem ex- pressionem requirat, ut in *cap. ult. ut lite- pend.*) tali casu maior est præsumptio pro subreptione, iuxta ea, quæ dixi cap. præ- cedente.

5 Ita tamen, ut, si res dubia sit in utramque partem adversus confirmationem & rem confirmatam, inferior Iudex absq; Sedis A- postolicæ mandato non decernat, ut in hoc cap. dicitur, & notavit *Alexand. hic n. 2.*

CAPITVLVM III.

Bonæ.

PARAPHRASIS.

Lis fuit inter Caium & Titium, quam Papa Judicibus delegavit; ij pro Caio sen- tentiam dixerunt, quare Titius ap- pellavit ad Papam, sed Judices, ap- pellatione non obstante, sententiam executioni mandârunt, cum autem Titius quantocyùs iter arripere ad Sedem Apostolicam, literas impe- traturus, pro retractatione senti- tiæ, Caius cum præveniens ab ea- dem Sede rescriptum confirmato- rium promulgatæ sententiæ priùs ob- tinuit, in quo nullâ mentio fiebat appellationis. Quare dubitatum fuit, obtentæ num literæ à Caio præiudi-

cent literis postea à Titio impetratis, an vice versâ?

Respondit Cœlestinus III. Quòd literæ posteriores prævalere debeant primis; sin autem literis priùs mentio fa- cta sit appellationis, tunc non ob- stante, quòd in secundis literis ge- neralis clausula erat, *nullis priùs da- tis literis veritati ac iustitiæ præiudicantibus*, tunc primæ literæ vigo- rem habeant, donec de iniquitate sententiæ cognitum fuerit; secus au- tem est; si in posterioribus mentio specialis fiat, de literis confirmatio- nis priùs impetratis.

S V M M A R I V M.

1. In impetratione rescripti posterioris, opus non est mentionem facere rescripti priùs impetrati, si illud irritum sit, aut per exceptionem elidi possit.
2. Clausula generalis addita rescripto ad ju- dices delegatos super causa appellationis: non obstantibus prioribus literis, si ve- ritati aut iustitiæ præiudicet, non tol- lit confirmatorias lita priùs sententiæ. Quis sit germanus sensus huius Capituli alias obscuri.
3. In dubio is intellectus Canonis præferri de- bet, qui ad titulum pertinet, sub quo Canon est positus.

Notandi. I. In impetratione rescripti posterioris opus non est mentionem facere rescripti priùs impetrati, si illud ir- ritum sit, aut per exceptionem elidi pos- sit. Ita *Glossa in cap. Ex tenore. 16. verb. ne- gotio. de rescript. Abb. num. 2.* & sumitur ex hoc capit. nam Titius impetravit literas Iudiciales super revocatione executionis sententiæ, quæ facta fuit post appellatio- nem, nullâ mentione factâ literarum, quæ priùs à Caio obtentæ erant super con- firmatione sententiæ, & tamen literæ Titij posteriores validæ judicantur, eò quòd lite- ræ priores subreptitiæ fuerint. qua de re vi- deri potest *Glossa in c. Super. 20. verb. literas. de rescript.*

Ratio

CAPITVLVM IV.

Cùm dilectæ.

PARAPHRASIS.

Cùm Abbatissa Gardevenfis & sorores petivissent ab Innoc. III. privilegia sua, quod ob vetustatem consumerentur, renovari: Papa mandavit 4. Episcopis, & totidem Abbatibus, ut ea diligenter inspecta & transumpta (quia propter viarum distantiam originalia mittere securum non erat) ipsi sub sigillis suis transmitterent, quod cùm factum esset, volebat Pontifex privilegia innovare, sed opposuerunt se Canonici quidam, eò quòd Hildesheimensis Ecclesia amplius 100. annis in possessione Monasterij eius esset. quamobrem Papa innovationem distulit, & Iudicibus delegatis mandavit, ut ad locum idoneum se conferentes, citatis partibus, super ea recognoscerent. Verùm ab his pars una Ecclesie Hildesheimensis ad Sedem Apostolicam appellavit, postea dicta Abbatissa iterum petivit privilegia sui Monasterij innovari, sed pars adversaria postulavit causam viris discretis committi, qui testes producendos feciperent ad reprobanda privilegia Monasterij, & probandam præscriptionem Ecclesie Hildesheimensis. Pontifex autem perpendens, civili jure statutum esse, si periculum sit, ne veritas occultetur, & probatio eius deficiat, ut etiam, lite non contestatâ, testes valetudinarij, senes, & alij recipiantur, de quibus causa rationalis adest timendi, ideo ejusdem æquitatis ratione judicavit, privilegia illa, quia nimia vetustate consumpta erant, & non in pergameno, sed in papyro conscripta, innovanda esse, ita tamen, ut ex hac innovatione nullum jus novum Monasterio acquiratur, sed, si quod antea habuit, per innovationem conservetur. Caterùm, quia

f f f f 2 Mq-

Ratio est, quia universim loquendo literæ ideo ob taciturnitatem veri vitiantur, quia si Princeps cognitam habuisset circumstantiam, aut qualitatem, quæ dissimulatur, rescriptum non dedisset, vel non tali modo dedisset; sin autem ponas, priores literas ob aliquem defectum fuisse irritas aut infirmas, tunc ijs non obstantibus Princeps posteriores literas dedisset; ergo. Qua simili ratione literæ impetratæ pro confirmatione sententiæ censentur validæ, licet impetratæ sint post appellationem, nullâ eius factâ mentione, si ponas, appellationem fuisse irritam, aut desertam, aut ei renuntiatam, sicuti *Alexand.* notat *hic n. 6.* Quia taciturnitas seu dissimulatio veri, non vitiat rescriptum eius rei, quæ si fuisset expressa, nihilominus rescriptum tale datum fuisset, sicuti docui *in sit. c. Super.*

2 Nota II. Clausula generalis addita rescripto ad Iudices delegatos super causa appellationis, *non obstantibus prioribus literis*, si veritati aut justitiæ præiudicet, non tollit literas confirmatorias latæ prius sententiæ. Veruntamen cùm ex in forma tantum communi datæ sint, earum vigor manet in suspenso; si enim Iudices delegati super appellatione, decernant, rectè iudicatum, & malè appellatum, tunc confirmata manebit sententia. Sin verò decernant, malè iudicatum, & bene appellatum, tunc corruente sententiâ, corrumpit etiam confirmatio eius, iuxta ea quæ dixi *in cit. cap. h. sit.*

3 Atque hanc esse germanam huius Capituli, alioquin obscuri, explicationem, colligit *Glossa hic ex Rubr.* siquidem in dubio is intellectus Canonis præferri debet, qui ad titulum pertinet, sub quo positus est Canon; qua ratione *Gloss. in cap. Tibi. verb. certo. de rescript. in 6.* ostendit, quòd executor beneficiæ delegatam jurisdictionem habet, quia de eo agitur sub titulo de officio Iudicis delegati.

cap. Si super. 9. de offic. deleg. in 6.

of: (+): 20



Monasterium ad Sedis Apostolicæ proprietatem pertinere ex Pontificio indulto cognoscitur, ideo, ne jus Ecclesiæ Romanæ indefensum permaneat, ipsam Abbatissam Pontifex Procuratricem eiusdem Ecclesiæ constituit, ita, ut vires eius in iudicio agat & causam defendat, quandoquidem adversus Romanæ Ecclesiæ possessiones & iura non nisi centenaria præscriptio prævalere potest, quamobrem, cum Pontifex nolit, questionem de statu Monasterii diutius hære, mandata hinc Decano Paderbornensi, ut locum tutum & commodum eligens recipiat testes, quos vel Hildesheimensis Ecclesia ad probandam præscriptionem, vel Monasterium ad præscriptionis interruptionem ostendendam produxerit. Quod si præscriptio centenaria legitima probata fuerit, neque interruptio opposita demonstrata, tunc subjectionem Monasterii adiudicat Episcopo Hildesheimensi, cum constet, Monasterium in eius diocæsi situm esse, ac postea privilegium innovatum destruat; alioquin verò Episcopo super hac causa perpetuum silentium imponat, & Monasterium perpetuam libertate gaudere decernat, privilegio Apostolico eidem confirmato.

SUMMARIUM.

1. Originalia plura confici consultum est, v. g. plura testamenta authentica, ut uno amisso alterum habeatur.
2. In periculo corruptionis vel perditionis instrumenta renovari possunt, etiam in absentia partis adversaria, ac lite non contestata.
3. Exceptio in casu à communi regula excepto valere etiam debet in aliis similibus casibus.
4. Vti confirmatio, ita innovatio privilegii propter vetustatem nihil novi juris tribuit, sed antiquum conservat. Potest ea fieri, etiam absente adversario.
5. Contra exemptionem Monasterii, alterius-

ve Ecclesia Ordinarius, quatenus est ex parte sue Ecclesiæ, præscribit annis 40. ex parte autem Sedis Romana annis centum.

6. Mulier nec iudex esse, nec advocati, aut procuratoris officio fungi potest, potest tamen esse ad negotia advocatrix.

Not. I. Consultum interdum est, ut plura originalia conficiantur. v. g. plura testamenta authentica, ut uno amisso alterum habeatur. *l. unum. 24. ff. de testament. ubi gloss. marginalis post gl. inc. Ex tenore. 17. verb. negotio. de rescript. ait: non nociturum, si quis ob periculum, quod via v. g. securæ non sint; duo eiusdem tenoris rescripta ad lites impetret, quod si verò aliquis unum tantum habeat originale, quod transferri securum non sit, tum illud vidimari seu transcribi curet, adhibito Notario publico, nam tali transumpto, seu vidimus, etiam omissio originali par fides adhibetur. *c. penult. & ult. de fide instrument. & videri potest gloss. in c. Cum in iure. 31. verb. super mandat. de officio deleg.**

Not. II. Instrumenta, si periculum sit, ne corrumpantur & pereant, renovari possunt, etiam in absentia partis adversaria, ac lite non contestata: nam ita iure constitutum est de testium receptione. *c. ult. de lite non contest. §. sunt alij.* Accedit quod res ista sit modici & facile reparabilis præiudicij, ita ut summaria cognitio sufficiat, nec litis contestatio opus sit, sicuti post Innoc. docet hinc *Abb. n. 21. Casl. l. 1. observ. 23. n. 3.*

Not. III. Si casus à communi Regula exceptus sit, exceptio non tantum in eo, sed & in aliis similibus locis locum habere debet. ita *gl. in l. Illud. 16. §. alia. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Beroius hic n. 10. & sumitur ex hoc cap. nam quod testes valetudinarij ante lites contestationem recipiantur, est casus exceptus à Regula, qui tamen propter similitudinem rationis extenditur ad innovationem privilegij, si periculum in mora sit.*

Ex

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

Quidam Canonici Regulares Ecclesie Ne-
mausensis ab Innoc. III. suarum admi-
nistrationum confirmationem impetrâ-
runt, tacito, quod essent Regulares, id
eum ex Præposito eiusdem Ecclesie co-
gnovisset Papa, mandat Episcopo & Præ-
posito Vticensi; si ita se res habeat, ut con-
firmationem irritam & inane esse de-
clarent, propterea, quod Sedes Apostoli-
ca non soleat talia regularia beneficia re-
gularibus personaliter confirmare.

SUMMARIUM.

1. Regulari Papa non solet quoad propriam e-
ius personam facile confirmare admini-
strationem beneficii sui Regularis, ita ut
à suo Pralato amoveri non possit.
2. Si tamen constet, Papa fuisse cognitum, quod
beneficium regulare sit, & ab eo confir-
metur, amoveri ab eo regularis non pote-
rit, secluso crimine depositione digno.
3. Refutatur Sanchez oppositum l. 7. Moral. c.
29. n. 130. sentiens.
4. Confirmatio aut collatio facta Regulari ab
Episcopo, censetur facta iuxta naturam
beneficii regularis, ita ut Religiosus ma-
neat obedientiarum Pralati sui.
5. Religiosus curatus beneficii secularis, & non
tantum Vicarius sui Pralati Monasterij,
cui Parochia incorporata est, revocari à
Pralato suo non potest.
6. Pralatus Regularem à manuali beneficio
revocare potest pro libitu, etiam nullà ex-
pressâ causâ.
7. Nisi ex malitia eum removerè vellet, tunc
supplicare possit Superiori, & ab eo audi-
endus esse.
8. Vel si vigeret consuetudo, ut intra certum
tempus non revocetur, sine causa revocari
non possit.
9. Pralatus Regularem valide & licite revo-
care potest à manuali beneficio, etsi pro-
visisset

f f f f 3

visisset

Ex quo inferitur, quod extensio ob simili-
tudinem sive identitatem rationis etiam in
exorbitante dispositione quandoque locum
habere possit.

4 Not. IV. Quemadmodum confirmatio
privilegij, ita & innovatio propter vetusta-
tem nihil novi juris tribuit, sed antiquum, si
quod inerat, conservat. Potest autem inno-
vatio fieri etiam absente adversario, dum-
modo originale sufficienter legi possit. *cap.
Cum olim. l. 2. de privilegiis.* & videri potest
hic *Alexand. n. 25.*

5 Not. V. Contra exemptionem Mona-
sterij, alteriusve Ecclesie Ordinarius, qua-
tenus est ex parte sue Ecclesie, prescribit au-
tis 40. quatenus verò est ex parte Sedis Ro-
manæ, non prescribit nisi 100. annis, ut
etiam ex *cap. Ad audiendam. l. 2. de pra-
scriptionibus colligitur.* Quia igitur Abbatis-
sa agere poterat pro juribus Monasterij;
quippe cui administratio competit; ideo
Pontifex eidem potestatem & mandatum
dedit, etiam nomine Sedis Romanæ agendi.
arg. s. 3. de transactionibus. ubi habetur, in ca-
su, quo Abbas actum expedire non potest
sine Conventu. v. g. transactionem facere,
mandatum Conventus requirit. Id ipsum vi-
detur dici posse de Abbatisa, quod in simili
casu, si videlicet causa communis ipsi sit cum
Conventu suo, eam in iudicio agere possit
partim suo nomine, quatenus Administra-
rix Ecclesie est, partim verò nomine & ex
mandato Conventus, ut Procuratrix eius,
quamvis *Innoc. & gl. hic. verb. Procuratrix,*
probabilis esse putent, quod Abbatisa di-
spensativè seu ex gratia speciali Procuratrix
constituta fuerit, cum alioqui mulier hoc
munere fungi non possit in iudicio, sicuti
habetur in *l. 2. ff. de Regul. Iur.* quod mulier
ab omnibus civilibus publicis muneribus
excludatur, ita ut nec Iudex esse, nec Advoca-
tati, aut Procuratoris officio fungi possit.
6 At verò ad negotia mulier potest esse
advocatrix. *l. 3. §. hæc verba. ff. de
negotio gestis.*

88 (+) 80

mississet ei, se non avocaturum.

10. *Et si juratò promississet, tenerat tamen revocatio & amotio à beneficio, & probabiliter Prælatus non periurus esset.*
11. *Declaratur, quomodo salvo voto Obedientia Regularis beneficium perpetuum possidere possit, à quo à Prælato amovibilis non sit.*
12. *Beneficium Regulare, quod ex propria institutione manuale est, per prescriptionem cum bona fide fieri potest perpetuum.*
13. *Resolvitur questio: an beneficium manuale, quod Papa Religioso contulit, à Prælato Regulari revocari possit.*
14. *Cur regularem provisum secundum viam juris devoluti ad Sedem Apostolicam Prælatus revocare possit, non item provisum per viam preventionis & concurrentia?*
15. *Regularis beneficiarius extra claustrum cui obedire debeat, Prælato, an Episcopo loci?*
16. *De redditibus beneficij plenè uniti Monasterio, Prælatus disponere potest, tanquam de bonis eiusdem, relicta tamen congrua sustentatione Religioso veluti Vicario manuali.*
17. *Religiosi S. Benedicti ex speciali constitutione subsunt in omnibus Abbatibus, & per eum removeri possunt à beneficio regulari, ad id promoti ex provisione Papa vel eius Legati.*

NOr. vnic. Papa non facilè solet Regulari quoad personam suam confirmare administrationem beneficij sui Regularis, ita ut à suo Prælato amoveri non possit: nam talis concessio abstrahit Regularem à perfectione obedientiæ & paupertatis *arg. cap. Abbates. 18. §. Monachi causa. 18. q. 2.* Quare docent DD. prout explicavi *l. 4. sr. 2. cap. 2. num. 5.* quòd beneficia regularia plerumque sint manualia, ita ut beneficiarius, seu cui administratio beneficij commissa est, arbitrarij Abbatis seu Præpositi regularis amoveri, & ad claustrum

revocari possit. *cap. Cum ad Monasterium 6. §. tales de statu Monach.*

2. Veruntamen si extra dubium sit, Pontifici cognitum fuisse, quòd beneficium regulare sit, illudque in favorem persone, seu proprio motu, seu ad instantiam confirmet, censei debet provisio beneficij regularis adeò rata, ut ab inferiore Prælato amoveri non possit provisus, secluso crimine depositione digno: uti colligitur ex hoc *cap. & sequent. & docet Innocens. in c. Nisi. de prebendis. Franc. in cap. ult. num. 3. de offic. Ordinar. in 6. Navarr. confi. 14. num. 16. de statu Monach. edit. 2. Azor. t. 1. l. 12. cap. 2. quest. 8.*

Id verò difficile apparet, quòd docuit *Saneb. l. 7. moral. 29. num. 130.* Si Papa Religioso beneficium regulare absolute confirmet, revocari posse à Prælato, eò quòd Pontifex non censeatur naturam beneficij mutare velle: nam contrarium colligitur ex *cap. sequente*, ubi Pontifex ait: Si rescriptum papale producatur, in quo Religioso beneficij regulare confirmatum sit, de falsitate suspectum esse & lacerandum, quia Pontifex non solet tales confirmationes facere, quòd *gloss. ibi verb. confirmantur Abb. num. 4. & 5. limitat*, nisi appareat, quòd ex certa scientia processerit confirmationis rescriptum; in dubio verò id non præsumendum, cum sit præsumptio contra impetrandem; sin autem Pontifex in rescripto exprimat beneficij qualitatem, quòd regulare sit, tunc non potest esse dubium de scientia Papæ, quòd etiam Rodriquez significat, *T. 1. Regular. quest. 34. art. 2. Azor. loc. cit.* ubi pro eodem habere videntur, Papam confirmare ex certa scientia, & cum expressione qualitatis.

Rationem dare debemus, quia si Papa sciens, esse beneficium regulare, collationem eius in gratiam persone confirmet, intentio eius est, robur & auctoritatem tribuere, consequenter beneficiarius, ita confirmatus, arbitrio Prælati inferioris amoveri non potest, cum alioquin ferme inutilis esset confirmatio Papæ, sed neque decora

decōra Sedi Apostolicæ, si ab ea confirmatus in beneficio paulò pōst, vel saltem, cūm voluerit Abbas, removeri possit. Quare etiam *Suarez* ait, per confirmationem Pape Religiosum fieri obedientiarium Pape, & beneficium ipsi plenè concedi. Ad argumentum *Sanchi*, facilè Resp. negando, mutat naturam beneficij manualis, quandoquidem favor iste, quòd confirmatus amoveri non possit ab inferiore, sed usque ad finem vitæ administrationem beneficij habere debeat, personalis est. personā autem mortuā aut depositā redit beneficium ad suam naturam.

4 De Episcopo confirmante Regularem, quem Prælatus præsentavit ad beneficium regulare, alia ratio est. cūm enim Episcopus non possit contra sacros Canones beneficium manuale conferre Regulari ad tempus vitæ, ideo eius confirmatio, aut collatio fieri censetur secundum naturam beneficij regularis, ita ut Religiosus provivus obedientiarium maneat Prælati sui, sicuti notat hīc *Alexand. n. 13.*

5 Loquimur autem de Regularibus beneficiis, non sæcularibus: hæc enim suapte naturā seu jure ordinario perpetua sunt. itaque si Religiosus cum legitima licentia præficiatur beneficio sæculari. v. g. Parochiæ, ita, ut ipse sit curatus, & non tantum Vicarius Prælati Monasterij, cui Parochia incorporata est, hoc casu revocari non potest, quia promotio Religiosi. v. g. Regularis Canonici intelligitur secundum naturam beneficij, quod, ut pono, titulum perpetuum habet, sicuti notavit *Abb. in cap. 2. num. 3. de statu Monach.* ubi ait: quòd talis desinat habere communicationem cum Monasterio. Quamvis interim habitum gerere debeat, & Regulam Ordinis, quatenus potest, commodè observare. *argum. c. panni. de vita & honest. Clericor.* videri potest *Suarez*, quicadem tradit de beneficiis regularibus extra claustrum, si perpetua & irrevocabilia sint.

6 Quæritur 1. Utrum Prælatus Regularem, cui manuale beneficium collatum est,

revocare possit pro libitu, etiam nullā expressā causā. Affirmandum est ex *cit. cap. 7. Cūm ad Monasterium. & Clemens. vn. de excessibus Prælati*: ubi dicitur: quòd tales liberè possint ad claustrum, cūm oportuerit, revocari. non autem liberè fit, ad quod faciendum causā aliqua requiritur, idque ex communi notavit *Sanchez. loc. cit. num. 120; Suarez contra Rodriq. 1. 1. quest. 34. art. 2.* ubi ait: quòd Monachus, si sine causā à Prælato removeatur, Superioris Judicis officium implorare possit, citatque *Innocent. in cap. Insinuante. num. 2. qui Clerici vel vocentes.* qui tamen aliter loquitur, & rectè, si occurreret casus, in quo Abbas vellet ex malitiā removeere Monachum à loco, quem ei deputavit, possit supplicare Superiori, & Superior eum audire deberet ad similitudinem servi. *l. 1. Cod. de precibus Imperat. offerend.* quod etiam tradit *Dominic. in cap. Cūm singula. Column. 2. de præbend. in a.* Addit præterea *Suarez*, si urgeat consuetudo, ut saltem intra certum tempus à Prælato non revocetur Beneficiarius, tum revocari non posse sine causā.

Quæritur 2. Si Prælatus promisit Regulari, quòd eum à beneficio manuali revocare nolit, an nihilominus possit non tantum validè, sed etiam licitè revocare.

Affirmandum cum *Abb. hīc n. 9. Franc. in cap. vi. n. 3. de offic. Ord. in 6. Sylvest. V. Abbas. quest. 3. dicto 7. Sanch. cit. cap. 29. n. 125. & aliis contra Navarr. cit. consil. 14. num. 13.* Probatur, tum quia Prælatus naturam beneficij manualis mutare non potest: tum quia impossibile est, ut Religiosus aliquam rem suapte naturā dependentem à voluntate Prælati irrevocabiler obtineat, idque propter obedientiæ vōtum, cui renuntiare non potest, uti colligitur ex *ijs, quæ dixi l. 4. tract. 4. cap. 7. n. 14. & tr. 5. 6. 7. n. 19.*

Sed etsi jurarit Prælatus, se non avocaturum, nihilominus facta postea amorivim obtinebit, teste *Abb. hīc num. 10. Alexand. num. 14.* ait verò *Sanch. loco. cit. & Abb*

Abb. in cis. cap. Cum ad Monasterium. n. 12. Prælatus periurum fore, si revocet, idèòq; saltem ex virtute Religionis obligari ad non revocandum. Ego verò puto, oppositum probabiliter dici posse per ea, quæ docui *l. 4. tract. 3. c. 6. assert. 6.* Si promissio sit contra bonos mores, ita vt disciplinam solvat, aut peccandi occasionem præbeat, tum juramentum ipsi accedens irritum & non obligatorium esse. At verò in casu nostro promissio non revocandi obedientiarium Religiosum est contra bonos mores, cum Regularem observantiam & obedientiæ virtutem imminuat. Ergo. Tametsi enim honestatis ac disciplinæ regula non repugnet, si Prælatus Religiosum totâ vitâ suâ in officio vel administratione relinquat, tamen vt se ad id quomodocunque obliget, sub peccato id honestari repugnare, idèòque impossibile videtur.

Obijcies, quædam etiam regularia beneficia esse perpetua. v. g. Prioratus, qui per electionem conferuntur. *cit. c. Cum ad Monasterium, & notavit gloss. in c. Cum inter. 16. dum viveret. de elect. & docui l. 4. tr. 2. c. 4. n. 5.* igitur nihil repugnat voto obedientiæ, quòd aliquis Regularis beneficium possideat, ita vt amoveri non possit à Prælato.

11 Resp. Votum obedientiæ à Religioso editum ad ea extendi, quæ Prælati Regularis dispositioni ac voluntati subiecta sunt, non autem ad ea, quæ secundum universales Canones aut Pontificiam potestatem excepta sunt. tale autem est beneficium perpetuum, seu jus alicui collatum beneficij perpetui Regularis aut Sæcularis; nos autem supra egimus de beneficio manuali, quod proviso jus quidem ac titulum confert, iuxta *Clement. vn. de supplend. neglig. Pralat.* Sed dependentem à voluntate Prælati, consequenter tale beneficium sub voto obedientiæ tanquam materia seu obiectum continetur. His addit porro *Abb. loco cit. Sauch. n. 127.* tametsi Abbas cum Conventu statutum ediderit, ut concessio beneficij regularis perpetua & irrevocabilis sit, quòd nihilominus Prælatus etiã invito Conventu revocare possit, nam Abbas seu Prepositus etiam cū

Conventu non potest facere statutum, quò eius gubernativa potestas erga subditos regulares minuatur aut impediatur, sicuti ex communi docet *Sylvest. verb. Abb. q. 4. n. 7. Rodrig. 1. 3. q. 29. a. 9. Sa. verb. religio. n. 66. arg. l. Legatus. 20. ff. de off. Præsidis.* vbi dicitur: quòd Legatus Cæsaris abdicando non amittit Imperium, nisi resignet in manu ipsius Principis. Deinde et si ponamus, Prælatum seipsum obligare posse statuto, tamen successorem non posse, nisi à Sede Apostolica statutum confirmetur.

Quæritur 3. Si immemoriali consuetudine observatum fuit, ut Regularis amotus non fuerit ab administratione, num Prælatus jus amovendi amiserit.

Negat universim *Abbas h. c. n. 12. Alexander n. 16. Sauch. n. 117.* vel enim Prælatus nunquam revocare aggressus est, vel aggressus, sed beneficiarius ei resistendo permansit: neutro in casu constituitur jus consuetudinis; non in priore; quia per actus, aut omissiones merè voluntarias non inducitur obligatio, & præscriptio; nõ in posteriore; quia subditus contra Prælati obedientiam præscribere non potest. *cap. Cum non liceat. 12. de præscriptionibus.*

Sed arbitrò, negari non posse, quin beneficium regulare, quòd ex propriâ institutione manuale est, per præscriptionem cum bona fide fieri possit perpetuum. Sicuti docuit *Suar. 1. 4. cit. l. 3. c. 19. n. 20.* Si videlicet ob communem persuasionem ac famam, beneficium esse perpetuum, ita cum bona fide possideatur à regulari. hoc casu concurrunt omnia ad præscribendum necessaria, videlicet temporis diuturnitas, bona fides & possessio beneficij tanquam perpetui & irrevocabilis, præsertim si Prælatus velit revocare, & regularis opponat, esse perpetuū, & Prælatus acquiescat, tunc non agit Regularis contra votum obedientiæ, cum respectu huius beneficij sit in possessione immunitatis & exemptionis cum bona fide, & sic patet Responso ad argumentum. vide quæ docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 8. c. 9.*

Quæritur 4. Si Papa beneficium manuale Re-

le Religioso contulit, num à Prælato Regulari revocari possit?

13 Respondeo & Dico 1. Si Pontifex contulit iure devoluto propter negligentiam Prælati Regularis, qui intra 6. menses vacante beneficio provisionem non fecit, Prælato non est adempta revocandi facultas, dummodo non agat malitiosè, quod facere præsumetur, si absq; causa statim avocet provisum à Papa. Hæc legentur & colligentur ex *Clement. un. de suppl. negl.*

Dico 2. Si Papa Religioso beneficiū regulare, quod manuale est, contulit, non potest ei à Prælato auferri, sed à solo Papa. Hæc est communior sententia. *Dominic. in c. ult. col. 2. ibid. Franc. n. 3. de offic. ordinari. in 6. Decrij hic. n. 16. Azor. t. 2. l. 3. c. 26. q. 15.* Probat 1. Quia postquam Pontifex manum apposuit, inferior se intrmittere non debet. *arg. c. Cum in distribuendis. 12. de temporib. ordin. & notat Abb. in c. Postulastis. 10. de Cler. excommunicato. 2.* Cùm Papa plenissimam habeat circa beneficia dispositionem. *c. 2. de præbend. in 6.* ideo si ipse collationem faciat, ea largè explicanda est; sicuti docet *Thuseus verb. confirmatio Conclus. 708. n. 48.* præsertim in casu nostro, ut concessio Papæ duret, & non statim, aut saltem secundum arbitrium alterius auferatur, ideoque quasi illusoria sit.

Contrarium tradit *Abb. hic. n. 8. Alex. n. 13.* & alij apud *Sanct. n. 134.* Quia Pontifex conferendo non censetur mutare velle manualis beneficij naturam. Resp. ut suprà. Non mutari naturam beneficij, cùm mortuo proviso beneficiū fiat iterum subiectum Prælato. Accedit, quòd ipsemet Papa, qui contulit, arbitrato suo provisum avocare possit. itaq; sicuti si Generalis alicui Religioso beneficij administrationem concessit, non decet, ut Guardianus vel Abbas subordinatus auferat, ita multò minus decet auferri, si Supremus Generalis omnium Ordinum, videlicet Papa contulit. Neutro tamen casu de obedientiæ perfectione aliquid decedit.

14 Quæres. Cur Regularem provisum secundum viam juris devoluto ad Sedem Apostolicam Prælati remove potest, non item provisum per viam preventionis & cõ-

currentiæ, quam habet Pontifex in beneficiorum collatione?

Resp. Causam discriminis esse, quia in posteriore casu Pontifex confert propter publicum Ecclesiæ favorem ac necessitatem, ne beneficiū diu vacet: in priore autem casu confert ex gratia speciali erga regularem; gratiam autem seu beneficiū Principis decet esse mansurū, donec à Principe revocetur.

Quæritur 2. Si regularis beneficiū regulari extra claustrum præfectus sit, cui obedire debeat? num Prælato an Episcopo loci?

Respondeo & Dico 1. Si non tantum ipsi Religiosi, sed etiam Ecclesia aut beneficium, cui Religiosus præest, exemptum sit ab Episcopo, tunc Prælato suo Regularis in omnibus obedire debet, quia talis Prælati habet se instar Episcopi, seu, quod attinet ad jurisdictionem in eo loco, veluti Episcopalem jurisdictionem obtinet. vti colligitur ex *Trid. sess. 25. c. 11. de Regularibus, & tradit ex communi Snar. cit. l. 3. c. 19. n. 19.*

Dico 2. Si Ecclesia seu beneficium non sit exemptum, sed neq; Monasterio pleno jure, id est, tam in spiritualib⁹, quam temporalib⁹ subiectum, esto fortasse monasteriū & Abbas erga subditos loci temporalem exerceat jurisdictionem; quia Dominus oppidi est, hoc in casu Religiosus in rebus pertinentibus ad Ecclesiæ suæ, alteriusve beneficij administrationem Episcopo, & non Prælato Regulari quamvis exempto obedire debet. Videri potest *Snar. citato loco.*

Dico 3. Si Ecclesia. v. g. Parochialis pleno jure, id est, tam in spiritualib⁹, quam temporalibus Monasterio subiecta sit & incorporata, sicuti explicat *Gl. in c. 7. de privileg.* tunc in pertinentibus ad Parochiæ administrationem Religiosus ibi positus Episcopo suo subiectus est, quamvis cum subordinatione; quandoquidem etiam Prælati, tametsi absolute exempti sit, tamen quatenus curam Parochiæ veluti secundum habitum gerit (ipse enim est Parochus perpetuus) subordinatus esse debet Episcopo, prout legere licet in *Trident. Concil. sup. cit. c. 11. & docui in Dissert. de Prælat. quest. 208.*

Aliud discrimen advertit *Snar. cit. c. 19. n. 16*

g g g g

7. 6

2. & seqq. Quia si beneficium ita plenè unitū sit Monasterio, tunc relicta congruā sustentatione Religioso veluti Vicario manuali de reliquis redditibus tanquam bonis Monasterij Prælatus disponere potest. sin autè beneficium etiam regulare non ita plenè subiectum sit, sed solum dicatur regulare, quia per regulas administrari debet, vel etiam à Prælato regulari conferri, tali casu Prælatus non potest de redditibus eius disponere. sicuti videre est in *Clement. de supplenda negligentia Prælatorum.*

17. Ad extremum notanda est limitatio, quæ poni debuisset quæstione præcedente in dicto 2. ex *Dominico & Franc. in cir. c. ult. Sanch. 1137.* quòd Religiosi S. Benedicti, qui ad regulare beneficium promoventur ex provisione Pontificis aut Legati eius, in omnibus subesse debeant Abbati suo, ab eòq; revocari possint propter specialem constitutionem ab ipsis citatam.

CAPITVLVM VI.

Porrecta &c.

PARAPHRASIS.

Relatum est Innoc. III. quòd plures Religiosi, qui Prioratibus, aliisve administrationibus præerant, à Pontifice impetratas literas confirmationis exhiberent super beneficiis suis possidendis, quoad vixerint, eaq; occasione bona Prioratum dissiparent, asserentes, se eorum respectu Prælatis nō subesse. Hòc intellecto.

Respondit Pàpa, se non credere, quòd eiusmodi literæ à Cancellaria sua emanârint. quare mandat Delegato, ut Religiosos, qui tales literas exhibent, tanquã falsarios puniat, ut, si in literis confirmationis non fiat mentio Religionis, tum eas tanquam subreptitias propter veri taciturnitatem irritas esse, declaret.

NOT. vn. Prioratus aliæve administrationes Regulares, si manuales sunt, non facillè Pontifex confirmat Regulari ad tempus vitæ suæ, sicuti dixi e. præcedente.

Adverte autem, quòd Pàpa non dicat, tales confirmationes à Romana sede nunquã emanare, id enim falsum est, sicuti *Imol. hinc advertit n. 2.* sed ait, se non existimare, quòd

ex sua Cancellaria tales literæ prodierint, & ideo, qui eas exhibuerint, tanquam de falsitate suspectos puniri posse.

CAPITVLVM VII.

Examinata &c.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Nobilem de Rivaria & milites Campaniæ, super iure Patronatûs, in qua partes sub certa forma compromiserunt in Vice Dominum (seu Vicarium) Sabinensem, is arbitrium seu laudū promulgavit, quòd partes ambæ receperunt, & comuni consensu à Cœlestino III. confirmationem eius impetrârunt. Sed successor eius Honorius III. hinc rescribit, cum arbitriū seu laudum contra formam juris & compromissi promulgatū fuerit, ideo non obstante confirmatione Papali, quippe quæ data fuit cum clausula, sicuti arbitrium providè latum, & ab utraque parte receptum est, irritum, & inane esse.

SUMMARIUM.

1. Sententia aut arbitrium ipso iure nullum, non potest ex partium consensu approbari.
2. Neque si illud confirmetur à Pontifice in forma communi, ideo valorem consequitur.

NOT. I. Si sententia, aut arbitrium (nam arbitria ad formā iudiciorum redacta sunt *l. i. ff. de arbitris*) sit ipso iure nullum, nō potest ex partium consensu approbari. ita sumitur ex hoc cap. Ratio est, quia sententia, aut laudum, cum sit aliquid juris, nō est subiectum partium voluntati.

Sed ob stare videtur *l. 2. C. communia utriusq; iudicii, in h. c. gl. finali.* ubi dicitur: quòd sententia, quæ irrita est, partium consensu approbari possit, ita ut saltem per modum pacti obliget.

Resp. Cùm Abbate hinc *n. 4.* Veram esse hanc doctrinam, si id, quod per sententiam decretum, partium voluntati & dispositioni, aut transactioni subiiciatur, quod in casu nostri Capituli non erat, agebatur enim de iure Patronatûs, quòd secundum juris Ecclesiastici dispositionem, & non secundum liberam quorumlibet voluntatē, aut pactū competere potest, præsertim personis laicis, uti dicitur *tit. de iure patronat. lib. 3.*

Not.

Not. II. Si sententia vel laudum arbitri, quod secundum se irritum, à Pontifice confirmetur in forma communi, non ideo valorem consequitur, quia confirmatio in forma communi actui non subsistenti nihil confert, sicuti dixi in c. 1. h. 2. Censetur autem confirmatio facta in forma communi, si clausula adiecta sit, confirmantis actum sicuti providè gestus est, dummodo vocula *sicuti* accipiatur conditionaliter, non causaliter, ut dicitur: c. sequente.

CAPITVLVM VIII.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepiscopum Niconiensem & Coepiscopos eius, ex una parte, & Regem, Barones, ac milites Cypri ex altera parte supra quibusdam decimis, interveniente Episcopo Apostolica tunc Sedis legato amicabile compositio facta est, eo adiecto, ut quantoque Apostolica autoritate confirmaretur, & tunc statim executioni mandaretur.

Postquam verò Pontifex eam confirmavit, & ad maiorem rei evidentiam literis confirmationis tenorem compositionis inseruit, Rex cum suis eam servare recusavit, frivole prætendens, partim quòd in literis Papæ verbum *confirmationis* ante tenorem compositionis contra Romanæ Curia stylum positum sit, partim quòd clausula usitata, *sicuti sine pravitate providè facta fuit* in eisdem literis contineatur. His tamen nihil obstantibus mandat Honorius, si res ita se habeat, ut Rex cum suis dictam compositionem adimpleat.

SUMMARIUM.

1. Confirmationem, in qua exprimitur tenor transactionis, Superior ex certa scientia confirmare videtur.
2. In clausula: Sicuti sine pravitate providè factum est: adiecta à Papa Dispositione post plenam eius notitiam: vox Sicut, non conditionaliter, sed causaliter accipienda est.

NOT. I. Si in confirmatione exprimat tenor transactionis alteriusve dispositionis, quæ confirmatur, tunc Superior cõfir-

mans, ex certa scientia cõfirmare videtur. vide, quæ dixi in c. 1. ibidem. Beroius. n. 29. h. 2.

Not. II. Si Pontifex post plenam notitiã transactionis, alteriusve dispositionis, eam confirmat adiectã clausulã *sicuti sine pravitate providè factum est*. Vocula *sicuti* accipi debet non conditionaliter, sed causalitè, ut sensus sit: quandoquidem rectè transactum, ideo transactionem confirmamus. operatur autem talis confirmatio ex certa scientia, ut nec pars altera, nec Iudex aliquis inferior prætextu alicuius defectus in dubium revocare aut rescindere possit.

CAPITVLVM IX. & VI.

Sua.

PARAPHRASIS.

Legatus à latere quædam Monasteria aliis Ecclesiasticis Conventibus aut Clericis Diocesis Constantinopolitanæ contulit, aut incorporavit, easque collationes Papa confirmavit. Quà occasione acceptã, ij, quibus collatio, aut incorporatio facta erat, Patriarche obedire & jura patriarchalia præstare recusarunt. Hoc intellecto Honorius III. scribit, se nolle, ut per eiusmodi collationes & cõfirmationes jura Diocesanæ minuantur, aut tollantur; quare mandat, ut reiectã hæc irrationabili præensione ij, quibus tales collationes factæ sunt, Patriarchæ reverentiã & obedientiã exhibeant, eique jura debita persolvant.

SUMMARIUM.

1. Monasteria, præter eorum primam fundationem, aliis Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis conferri possunt ex causa rationabili.
2. Et talem mutationem etiam legatus à latere instituere potest.
3. Fundator non potest aliter velle Ecclesiasticam fundationem facere, nisi ut ea sub sit potestati & administrationi Ecclesiasticorum Pralatorum, præsertim Papæ, qui proinde de omnibus beneficiis Ecclesiasticis plenissimam disponendi potestatem habet.
4. Concessionem aut incorporationem Monasteriorum, aliarumque Ecclesiarum, si Episcopo subiecta fuerunt, fieri censentur salvo jure Episcopali.

5. *Necque potest legatus ab Episcopi jurisdictione eximere; potest autem Papa per plenitudinem potestatis, qui tamen id non facere censendus est, nisi sufficienter exprimat, nec congruenter facere potest, nisi iusta causa postulet.*

6. *Si Monasterium, parochia, vel alia Ecclesia non exempta conferatur, vel incorporatur Ecclesia exempta, erit hac & eius Prælati subditus Episcopo, sed respectivè tantum, scilicet in pertinentibus ad Monasterium, parochiam, & Ecclesiam subiectam.*

1 **N**ot. I. Monasteria, præter eorum primam foundationem, aliis Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis cõferri possunt ex causa rationabili. Ita *hic & in c. 2. de Religios. domibus*, & constat ex praxi Ecclesiastica; multa enim Monasteria, quæ olim fundata erant pro Canonicis Regularibus, aut secularibus, aut sanctimonialibus, nunc ordo S. Benedicti possidet, & vice versâ, quæ fundata erant pro Monachis S. Benedicti, nunc Episcopi, Canonici, vel alii Religiosi obtinent.

2 **N**ot. II. Talem mutationem seu incorporationem etiã Legatus Sedis Romanæ si Cardinalis, seu à latere sit, instituire potest, propterea quod Legat⁹ à latere potestatem habeat, beneficiorum collationes & uniones faciendi. *s. 1. de off. leg. in 6. & docui l. 4. tr. 2. c. 9. n. 6.*

Obiici potest, quod juri naturali ac divino repugnare videatur, si fundatoris voluntate Ecclesia aut Monasterium pro certo personarum genere fundatum, aut dotatum postea aliis conferatur.

3 **R.** Fundatorem non aliter velle, sed nec posse Ecclesiasticam foundationem facere, nisi ut ea sit sub potestate & administratione Ecclesiasticorum Prælatorum, præsertim Romani Pontificis, qui proinde de omnibus Ecclesiasticis beneficiis plenissimam disponendi potestatem habere dicitur in *c. 2. de præb. in 6.* Non itaq; querelæ locus est, si ob rationabile causam Papa, aut Legatus à latere mutationem, aut translationem aliquam instituatur, neq; eâ re quidquam agitur contra fundatorum voluntatem, quippe quæ non mutatur, sed in melius convertitur secundum arbitrium & dispositionem summi administratoris, etenim cuiusq; fundatoris principalis intentio est, ut Dei gloria

& Ecclesie commodum promoveatur, si igitur Prælato Ecclesie, sub cuius administratione & dispositione foundationes sunt, videatur fore ad maiorem gloriam Dei & Ecclesie augmentum, si fundatio facta, v. g. pro Regularibus Canonicis, quando vel omnes mortui, vel in Monasterio disciplina monastica collapsa est, datur monachis, aut vice versâ, quæ pro monachis facta fuit fundatio, datur regularibus Canonicis, aut secularibus Clericis, nihil omnino agitur contra fundatorum voluntatem.

4 **N**ot. III. Concessionem aut incorporationem Monasteriorum, aliarumq; Ecclesiarum, si Episcopo Diocesis subiectæ fuerint, fieri censentur salvo jure Episcopali. Ita habetur *hic & notat Innoc. IV. super hoc c. ubi ait: Papa vel Legatus concedendo, vel supponendo alii Ecclesiam, nihil alieno juri detrudere intelligitur in omnibus.* ergo salva erunt Episcopis jura metropolitana & Episcopalia.

5 **D**iscrimen tamen est inter Papam & Legatum eius, sicut *Innoc. & Immo. hic monent,* quod Legatus non possit Ecclesiam Episcopo subiectam ab eius juribus omnino eximere, sed Papa hoc potest per plenitudinem potestatis, quia solius Principis est uni auferre & alteri dare. *Clem. quia. junct. gloss. verb. Sedis de Relig. verum id facere censendus non est, nisi sufficienter exprimat: sed nec congruenter facere potest, nisi causa iusta postulet, sicut Abb. hic monet n. 14. & allegatis juribus ostendit gl. hic.*

6 **I**d verò moneo, si Monasterium, Parochia, aliave Ecclesia Episcopo subiecta alteri Prælato, aut Ecclesie exemptæ conferatur, aut incorporatur, cum Prælatum, aut Ecclesiam, cui collatio, aut incorporatio fit, Episcopali jurisdictioni subiectam fore respectivè tantum, videlicet in pertinentibus ad Parochiam, & Ecclesiam subiectam. Quemadmodum in civilibus rebus accidit, ut, tametsi aliquis secundum se maximè exemptus, & nequaquam subiectus sit Imperatori, Regi, aut Duci, tamen quatenus possessiones habet sub eius territorio ac jurisdictione, earum respectu, seu in rebus & causis pertinentibus ad eas subesse debeat. Et hæc sufficient in librum secundum Decretalium, ad Dei gloriam.

INDEX